

Labor A

Diversis seminibus pectoris tui tolles fere nunc alimoniis mediocribus nunc ieiuniis parcioribus lectione opere prece, ut mutacio laboris inducie sint quietis.

Augustinus de virginitate.

Labor B

Citius auditur una oracio obedientis quam decem milia contemnentis, talis fuit oracio pharisei.

Augustinus de opere monachorum.

Labor C

Non desinatis in labore persistere, quia sublevacio laboris est vicio collaborantis.

Gregorius 5. moralium.

Labor D

Sancti viri quot labores nunc veritati commendantes exhibent, tot iam remunerationis sue pignora intra spei sue cubiculum clausa tenent.

Gregorius in moralibus.

Labor E

Quibusdam pravis mentibus nichil est laboriosius, quam si eis precipiatur, ut in huius mundi actibus non laborent.

Gregorius super Ezechielem.

Labor F

Nullus labor durus, nullum tempus videri longum debet, quo gloria eternitatis acquiritur.

Hieronymus in epistola.

Labor G

Quanti sudoribus hereditas cassa expetitur et minore labore promissa margarita Christi emi poterat.

Hieronymus ad Nepotianum.

Labor H

Qui in labore hominum non sunt, in labore profecto demonum erunt.

Bernardus super Cantica.

Labor I

Causam laboris cogitet in labore ut ipsa ei penam quam patitur representet.

Bernardus in sermone.

Labor K

Libentius suscipitur labor pro desiderio voluntatis, quam pro amore virtutis.

Leo papa de ieiunio septimi mensis.

Labor L

Generosos animos labor nutrit; laborem si recuses, parum esse potes. Non est viri timere sudorem.

Seneca 31. epistola.

Labor M

Multum abhorret opus cuius inchoatio invidia; continuatio est labor` finis est odium.

Seneca in epistola.

Labor N

Si qua per laborem recte feceritis, labor cito recedet, beneficium dum vivitis non abscedit. Si qua per voluptatem pravam nequiter feceritis, voluptas cito abibit, nequiter factum apud vos semper manebit.

Seneca ibidem.